

Epicedion honesti, & solertis
viri, viti Zitaviensis, civis,
ac senatoris i...

Mitis, Thomas,



EPICEDION
HONESTI, & SOLERTIS
VIRI, VITI ZITAVIEN-
SIS, CIVIS, AC SENATO-
ris in Rep: Brodensi meritiss:

Adiecta sunt aliquot Epitaphia in eun-
dem, aliósq; pie, ac felicias memorie uiros.

AUTORE THOMA MI-
TE NYMBVRGENO.

M: MATTHAEVS COL-
LINVS LECTORI.

Morte carent animæ: uexat mors corpora tantum,
Sed tamen hæc eadem uiuere Musa facit.

Ergo sui tota uiuit bene parte, nec unquam

Interit, Aonidum quem uehit ore cho: us.

Contra, nescitur quisquis uixisse, sepulchro

Exæpto, in terris possidet ille nihil.

Viuit ætibus pariter, terrestribus atq;

Vitus, in hoc celebrat quem pia Musa libro.

Generoso nū primis, et optimæ sp̄ci adulescen:
tulo v. Georgio à Lythbristayn
uitor. etc.

AD LECTOREM AVTOR.

Vt sunt tempora, sic sumus subinde
Affecti, bona nos dolere cogunt,
Letari fauunt secunda rursum.
Quidē quod mortis et insciij futurę,
Ignariq; simul sumus malorum,
Hęc est uita quibus referta, Cumq;
Hic nil certius extet, et sit ipsa
Morte, incertus et nihil uiassim:
Conducat meditatio salubris
Fati, morsq; sodalium latenter
Nos hortabitur ad Dei timorem,
Ad leti quoq; preparationem,
In Christo ualeamus ut beatę
Hinc decedere, qualiter vir iste
Decessit, merito uehendus a me
Qui forsā fuit ob sodalitatē,
Et patroanium meis fidele
Musis exhibitum: benigne Lector
Quapropter, peto, laudibus percipit,
Ac æquis faueas meo labori.
Sic uitam peragas, fauente CHRISTO
In cælis, ubi facta te uocant.

EPICEDION HONESTI,
ET SOLERTIS VIRI, VI-
TI ZITAVIENSIS, CIVIS,
AC SENATORIS IN REP:

Brodensi meritiss: ad nobilem uir-
rum D. Philippum à Vildn-
stayn scriptum a Thoma
Mite Nymburgeno.

Ponito lætiam, risusq; teneto, Philippe,
In luctusq; graues soluito corda statim,
Inferias donec dulcè soluemus amico,
Flebitus et socij tristia facta p̄j.
Fallor? an horrescis, socij quòd mentio facta est?
VITVS an est, rogatas, contumulatus humo?
Integer ille fuit, longo mihi cognitus usu.
VITVS concessit mortis an inuidie?
Inuidia certe facorum raptus atroci,
VITE, tuos, heu, quàm deseris ante diem.
Festinata nimis quis non tua fata queratur?
Nullus, qui non his commoueatur, erit.
Dilaniata genas vxor, nataeq; capillos
Tres sãsæ, haud tantum te perijsse gemunt:
Mystica turba dolet sed item lugendo preemptura
Te, cuius fueras non mediocre decus.

Te chorus et deflet Cantorum carmine tristis,
Exornatq; tuos Nenia crebra rogos.
Vatibus inspirat lugubria antica Phœbus,
Ut possim cineres condecorare tuos.
Condecorare tuos cineres, post facta tibiq;
Immortale decus conaliare queant.
Namq; mori prohibet spectatae laudis alumnos
Musa, facit sed eos posteritate frui.
Tu quoq; dicēris Cantorum gloria postea,
Cui reperiri par uix et in arte queat.
Tam bene dulcisonas norit qui promere uoces,
Cuiusuis cantus abdita quiq; facit.
Quiq; chorum templi melius regat, efficiatq;
Ut uoces unā conuenienter eant.
Te moriente simul Brode decus urbis ademptum
Creditor in templo, carminibusq; sacris
Aucta graui damno quapropter templa, forumq;
Credibile est fatis ingenuisse tuis
Ipsa Senatorem te flet Respublica factum,
Vrbq; bonum quem te credisse dolet.
Deniq; te populus luget, tibi libat adempto
Et lachrymas, functo iusta tibiq; parat.
Inuidiosa, refert, **VITVM** mors abstulit, urbi
Huic Parcae solers et rapuere decus.
Vir pius, et præstans fatis concessit inquis,
Viucere præ reliquis qui magis aptus erat.

Hunc cōmendabat moderatio in omnibus equa.
Libus et diris, fraudeq; uita carens.
Pacifcus uixit, nulliq; iniurius idem,
Et Iesus, nunquam reddidit ille uicem.
Illius hinc probitas exercita rebus iniquis
Materiam præbet laudis honorificæ,
Dum soluant ipsi passim præconia ciues,
Hunc magis extinctum laudibus atq; uehunt,
Insuper à Musis tumuli decoratur honore,
In uita quarum summus amator erat:
Et quarum pariter complexus amore clientes
Pectoris excoluit dexteritate pij.
Ergo bonos etiam fructus uirtute reportat,
Et feret æterni nominis inde decus.
Ac quia liuor edax uiuentes dente maligno
Rodit, at extinctis æquior esse solet,
Perfunctus uita maiori laude uehetur
Hic, et in ore frequens posteritatis erit.
Hunc tollet, multumq; sequens mirabitur ætas,
Post uitæ finem facta uehenda scæns
Ante obitum forsàn laudari nemo meretur,
Exitus et laudes, et pia facta probat.
Exitus, ac felix confecti terminus æui
Demum homines uera laude beare solet.
Qui nudi terra progressi, rursus eandem
Sic reuertent, pressi mortis soporifera.

Hæc quasi portæ pijs existit ad atria cæli,
Et rectam iustis monstrat in astra uiam.
Creditur ingressus penetralia cuius et esse
VITVS, sydereas et penetrasse domos.
Cur ita? Nam CHRISTI meritis innixus IESV.
Immensa patris tum pietate Deiz:
Muniuit sese studiosius ante Synaxi
Sacra, quam auctus mortis agone fuit.
Pneumatis ac ductu fatalis præsaus horæ,
Et Domini cœnam participare uolens:
Acerfi Parochum proprias mox curat in ædibus
Natalis CHRISTI tunc fuit alma dies.
Ad pia vota viri, desideriumq; sacratio
Cum Sacramenti munere Pastor adest.
Pastor adest, ipsum populo comitante frequentibus
Concursum cuius uix domus ampla capit.
Hic coram Parocho, cœtu totoq; fatetur
Sacratam VITVS pectore, et ore fidem.
Credo, Deum patrem complecti, diat, amore
Me, quia suppeditat comoda tanta mihi.
Corporeis, animæq; bonis, me largitur ille
Affiat immensa pro bonitate sua.
Qui quoq; me fontem merito nunc punit acerbis
Cladibus, ut scelerum penituisse queam,
Conueniente patri flagro me cedit, id omne,
Et reliquum patiens, æquo animoq; feram.

Nil dubitans, q̄ amet Deus hunc, quem corripit, et quòd
Castiget, peccans ut resipiscat homo
Me quoq; castiges, Deus ò, extrema merentem
Omnia peccatis, criminibusq; meis.
Per Chr̄stum miserere, precor, miserere precantis,
Et per eum demas crimina cuncta mihi.
Hac qui lux satus mundo genitrice Maria
Virgine, pro misero me quoq; factus homo est.
Vulnera, flagra, cruam propter me pertulit, hasta
Transfigi proprium sustinuitq; latus,
Vnde cruor manans ter sit mea crimina quæuis,
Atq; meæ precum grande salutis erat.
Mortuus iccirco propter delicta reorum,
Me sceleris nexu soluit ab omnigeno.
Hic ut confirmem sacratam spemq; fidemq;
Salusficam Christi commemoremq; necem,
Participare lubens eius cum sanguine CORPVS
Expecto, testari publicitusq; fidem.
His dictis sacram mox à Pastore Synaxis
Participat, grates soluit et inde Deo.
Nec mora, dispositis sic omnibus ille salutis.
Rebus, progeniem cum genitricæ uocat.
Ad quem confestim cum conflaxisset, ad Annam
Vxorem tales promit ab ore sonos.
Fac, queso, sobolem materno pectore nostram
Prosequere, hanc castis moribus expoliens.

In pietate Dei crescat, sanctoq; timore,
Vtilis vi reliquis esse, Deoq; queat.
Ad natus tandem uersus sermone paterno,
Harum compellat nomine quamq; suo.
Horaturq; Deum semper uereantur, amenq;
Illiusq; pie numina sancta colant.
Hæ memores sese monitorum deinde futuras,
Et patri dicunt uoc gemente uale.
Ille suis natus tractat complexibus, hasq;
Commendat patri per pia uota Deo.
Hic subito exoritur planctus muliebris, et ipsum
Singultus VITVM præpedit inde loqui.
Uxor in amplexus ruit exanimata mariti,
Deq; uiri collo flebile pendet onus.
Siccine me, dicit, uiduam cum prole relinquis?
Nil agis. En unâ commoremur, ait.
Esse quid hoc dicam? sine me si lucida celi
Astra petes: fati iura maligna querar.
O bona mors, et me iugulato falæ cruenta
Coniugis extincti, da, comes esse queam.
Non ego nunc dubitem cum sancto coniuge fuisse
Vita, cælestes et petiisse domos.
Talia iactanti mulierum more proxi
VITVS in humanis desijt esse dehinc.
In patriam migrans feliciter inde polorum,
Hæc desiderium liquit in urbe sui.

Est Locus Elysios inter nitidissimus agros,
Delicias cuius lingua referre nequit.
Lilia cum uiolis bene florent iugiter isthic,
Flore coronatur multipliaq; solum.
Ver ibi perpetuum est, spiratq; Fauonius usq;
Exanimis iustos excipit iste locus,
Qui mediante fide sunt iusti, et crimine casti,
Quam iungit stabili foedere sancta χ ris^{ti}.
His Ducibus subiens **VITVS** caelestia Tempe,
In Christi latus gaudet, ouatq; sinu.
Gaudia quapropter gratemur tanta, Philippe,
Vito, quem nobis mors inimica tulit.
Gratemur potius caelestia gaudia **VITO**,
Quam satagamus cum flere, dolere, queri.
CHRISTE Dei fili, petimus, des mortis agonem
Hunc nobis, qualem, te duc, **VITVS** habet,
Qui nos praesit mortali carne solutus,
Huc, ubi caelestes conspiciuntur opes,
Huc, ubi tu regnas cum patre, et pneumate sacro
Par, simplex, necnon unus in esse Deus.
Huc etiam nobis concedas, **C**HRISTE, uenire,
Nostra ubi vitalis deseret ossa calor.

Tέλος

EPITAPHIVM EIVSDEM
M. MATTHAEO COLLI
NO AVTORE

Nescius irasci, cunctis placidissimus olim,
Hic iacet in placida VITVS opertus humo,
Amisso VITO vitam amisisse uidetur.
Vrbis Brodenae Músicus ordo suam.

AD HVMANISS: ET INTE
GERRIMVM VIRVM D:
Duchosslaum Kretzek, ciuem, ac
Senatorem Brodensem Tho-
mae Mitis Epigramma,

Quod fuit Euryalus Niso, Patroclus Achilli,
Id VITVS fuerat, DVCHOSILAE, ubi
VITVS, quem rapuit BRODAE mors inuida, quem tu
Luctisonis Elegis me quoq; flere mones.
Promptius ipse quod id facio, debere Camenam
Quod VITVM noscam concelebrare meam.
Nam meus ille fuit fautor, Clariq; cohortis,
Hunc flet cultorem Musica turba suum.
Huic et nos lachrymas pariter libamus adempto,
Carminebus sancti prosequimurq; rogos.

Hæc ut cõgnoscas, quæ sint, et qualiũ, noscans
Et reliqui me nil uelle negare tibi.

Deniq; quò studium sit nostrum illustrius in te,
Hos tibi uersiculos, DVCHOSLAE, dico.]

Hi tibi sint nostri quoddam ceu pignus amoris,
Quo VITVS nostrum iunctus utriq; fuit.

Bene uult mi amic iss: Duchoslaẽ. E Museo nostro 22.
Februarij, qui mensis a februijs, hoc est sacrificijs, uel
exequijs mortuorũ denominationẽ trahit. l. f. f. 2.

EPITAPHIA ALIQVOT VITI ZITAVIENSIS FE.

licis memoriæ, ciuis, ac Senatoris
Brodensis meritiss: pio studio
conscripta à Thoma Mite
Nymburgeno.

VITE decus patrie, donec pia fata sinebant,
Quem uita functum Broda Bohema dolet.
Accipe, non rutilo splendentis lampadas igne,
Vnde tuo cineri sit periturus honos:
Sed carmen lugubre, tibi quod turba ministrat
Musica, perpetuò cuius amator eras,

Aspice Pegasidum manifesti signa doloris,
Ingratus non sit manibus ille tuis
Sic uiuas longum post funera dira superstes,
Maius ab exequijs nomen eátq; tibi.

ALIVD

VITVS ZITAVII decens alumnus,
Qui tota cecidit gemente BRODA,
Hoc sub marmore conditus quiescit
In spe à morte resuscitationis.
Heu quàm sunt hominum caduca quocuis,
Et filo tenui ligata pendent.
Vitales geniti subimus aturas,
Paulopost quoq; nos mori necesse est.
Id quod arnimus accidisse VITO.
Comis moribus, innocensq; vita,
Cantorum hic decus extititq; summum,
Doctrinam fidei professus atq;
Hanc longè tamen optime probauit
Ore, et corde pio, Synaxis usu
Et sacræ moriens, sequere tu quod,
Si cælo cupies frui, viator.

ALIVD

Hic tumulor VITVS, Brode dolor urbis, adempto
Cui genus, et nomen ZITAVIVM tribuit.
Bis quini inistabant iam tunc confinia lustris,
Cum mihi præcidit statim Para ferrox.

Quid grauitas morū? mihi quid sine litibus etas
Profuit acta? quid ars Musica? quid vel opes?
Omnia debentur morti. Discrimine nullo
Paulatim quosuis mors violenta rapit.
Tu quoq; discē mori, quisquis mea funera desles.
Felix, in CHRISTO qui morietur, erit

ALIVD

Prospera fata suis quicumq; sodalibus optat,
Hos operis titulos commodioris amet.
Hoc tumulto sanctus placida cum plebe Senatus
Post mortem socij condidit ossa sui.
Nimirum VITI spoliatum mente cadauer.
Spiritus in caelis gaudia letus agit.
Non igitur lugere virum debemus, amici,
Inuidisse polos ne videamur ei,
Nempe quod is uita multo meliore fruatur,
Quam nos hoc fruimur mortis in exilio.

ALIVD

Inmatura sui fletet dum funera VITI
Broda Bohemorum, precipitesq; rogos
Cum scholico coetu, Musisq; querebar, alumna
Ipse mei fatum, dixit Apollo, queror.
Respiensq; suas uultu tristante sorores,
Non leue vos etiam uulnus habetis, ait.
Quandoquidem Viti mortem sic numina deslent,
BRODA, quid hinc dias quid faciesuet precor.

Cum punire Deus grauius quam cogitat urbem,
Prudentes facit huic morte perire viros.

ALIVD

Ecquis in hoc busto fruitur post fata quiete?
Corporis extincti dic precor, umbra mihi.
Hec lapidis moles VITI regit ossa: genusq;
Et nomen dedit huic Zitauiense solum.
Ut vitam duxit? quibus hic et in artibus ævum
Contriuit? Mus. s nū ueneratus erat?
Musicus ille fuit præstans, et Cantor in urbe
Hac prius, extirpat cuius et inde bonus.
Hunc ita quis tituli decorauit honore supremo?
MITIS Pierij pars quotacunq; gregis.
Felix, quod Vatum dulces hic amauit alumnos,
Immortale feret nomen, et inde decus.

ALIVD

Hic corpus VITI requiescit ZITAVIENSIS,
Quo melior BRODAE uix fuit alter homo,
Spiritus at fruitur requie, uiuitq; per ævum,
A CHRISTO sedes tractus ad æthereas

ALIVD RATIONEM AN
ni Continens. 1.5.5.2

SOLERTIS VITI & LLVS Caput a Lera CorpVS.
In Christi VIVIte Meus bene nIXasInV.

TVMVLVS VITI ZI.
TAVIENSIS.

Quicquid fuit mortale VITI, conditur
In hoc sepulchro: Spiritus gaudet polo
Ex incolatu quem Deus mundi mali
In inuocatione uerta filij,
Et speresuscitationis á nea,
Ad cælicam, piámq; consuetudionem
Cætus fideliseuocauit iam die
Vicesima sexta Decæbris, quæ fuit
Tunc Protomartyri sacra Stephano
Post mille, quingentos, decémq; quinquies
Annos, et unum, postquam uirgine
Satus redemptor uisit orbis climata.

SEQVNTVR ALIQVOT
EPITAPHIA VARIORVM

Epitaphium Adami Caroli Consi-
liarij, et Secretarij Cesaris Ferdinandi.

Fama sui generis, doctorum præsidiumq;
CAROLVS est sapiens hac tumulatus humo.
Spiritus astra tenens cum sanctis gaudet, ademptis
Exequias uilis possidet iste locus.

EPITAPHIVM IOANNIS
MITIS PARENTIS SVI.

Qualia iusta tibi, pater, Inferiasq; perempto
Perfoluam? cineres quo decorabo tuos?
Artibus ingenuis ornatum pectus habebas.
Cantorum pariter gloria viuus eras.
Nymburgæ factus ciuis, prudensq; Senator
Huic de te semper commoda magna dabas.
Annos vix tres eram natus, cum raptus a terba
Morte mihi, tu me deseris ante diem.
Haectenus ergo tibi nullius signa doloris,
Muneris extremi nec monumenta dedi.
Te tamen creptum fati solabitur illud,
A te quod natus degenerabo parum.
Tunc, ubi Boiemis adscribar Vatribus olim,
Et studij letus præmia deinde feram.

EPITAPHIVM. M. SIGI
SMVNDI AB HELFEMBERK.

Esse quid hoc statuam? Sismundus clade Magister
Affectus dira, cæsus ab hoste perit.
Esse quid hoc dicam? Non hospes ab hospite tutus
Exstitit, à rabie mutis ut agna lupi.

Heu, quàm fasorum peruersa lege feruntur,
Omnia, per præceptis, et uicē uersa ruuntq; retro.
Nulla fides nunc est, pietasq; fruētibus æquo
Hospitio, pensant nām benefacta malis
Sic bonus, et præstans hinc uir, Sophiæq; peritus,
Hospitis infido concidit ense sui.
Taliter hospitibus solunt plerumq; Cyclopes,
Atrox supplicium non tamen effugiunt.
Nam si non hic dant pœnas, cruciatibus inde
Talibus vrentur, qui sine fine manēt.
Discite Cyclopes reuereri numinis iram,
Centaurus, ciues, non alitote feros.

NAENIA IN FVNERE HO-
nesti ac egregia eruditione exculti M.
Martini Hannonis Hradeceni,
Autore Thoma Mite Nymburgeno.

ERgo iaces tristi leto, Martine, necatus,
Nec vanum de te nuncia fama refert?
Nuncia fama utinam mendax foret, Occidis atqui
Dum colis albiacæ clara Lygæ scholæ.
Hic tu quum studijs exornas pectus, & artes
Omnigenas discis sedulitate pia,
Quumq; satis dextro modularis Apolline carmen,
Incipis & vatis nomen habere boni.

B

Eriperis patriæ communi dulcis alumnus,
Illius & de te spem facis esse nihil.
Ergo immatura queritur te morte peremptum,
Pignoribus caris mater ut orba solet.
Et quis non doleat? tua cui sit cognita virtus.
In studijs animi propositumq; tui.
Hoddeus vatum Mecenas quippe fidelis,
Aegre fert te iam vate carere suo.
Audit & inuitus Boiæ gentis Apollo.
Collinus natum te perijisse suum.
A quo tu mecum Phœbeis artibus unâ
Es genitus, castis Pieridumq; sacris.
Iure tuum finus lachrymis quoq; prosequor ipse.
Præar spem functum te citiusq; queror.
Et quia te uiuim dilexi pectore toto,
Ingenij propter munera clara tuis
Nunc simul extincto tibi debita soluo fauoris
Signa, tuos manes quæ recreare queant.
Fletus imbre madens hoc ergo suscipe carmen.
Nota quod officio dat mea musa pio.
Absens, non potui crines tibi uellere, caros
Comprimere aut oculos, dum moriturus eras.
Absens quod possum, supremi munus honoris
Præsto tibi, lacrymas libo tuisq; rogis.
Tu sed cum sanctis, & Christo gaudia semper
Ducas, æternum dulcis & Hanno, Vale.

THOMAE MITIS NYMBVR
geni, Elegia de morte optimi adoleſcentis
tis VVenceſilai SSicchiꝝ Lithomerici à VVotim.

S Axonicis eger Pragani deuectus ab oris
Occubuit noſter SSicchius ante diem
Ita, & defuncti corpus ſepelire, ſodales,
Vnaq; exequias mente parate pias.
Pro læto triſtis nunc accipiatur amictus,
Manantes lacrymæ mœſticiamq; notent.
Eſt aliquid crines defuncto ornare ſodali,
Ipsiꝝ ac flendo condere corpus humo.
Nec minus officium eſt pauliſper commemorare,
Duxerit ut uitam, finieritq; ſuam.
Ergo, qui Patriæ caſus releuare parabat,
Hanc quoq; ſpem de ſe fecit habere bonam,
Occidit, & fatiſ ereptus SSicchius (ehcu)
Ad tumulum fertur uermibus eſca datus.
Quid, ſocij, lacrymas poterit tenuiſſe? ſtatutus
Eſt ſiquidem nobis omnibus iſte ſcopus.
Tendimus, & cuncti metam properamus ad iſtam,
Propter Adæ culpam cogimur atq; mori.
Nil nos diuitiæ, nil ingeniumq; inuabit,
Linquemus, carum hic quicquid eſſe poteſt.
Occidit ille potens argento, Creſus, & alax,
Aurum cui, quicquid tangeret, omniæ fuit.

Occidit & uatum pater immortalis Homerus,
Corpus humi putruit, nomen in orbe manet.
Nunc igitur lacrymas Ssicho libemus adempto,
Communem sortem nunc Elegiq; fleant.
Nam postquam geniti uitaes cepimus auras
Carpere, mox morimur, puluis, & umbra, uelut
Alitibus longam concessit ducere uitam
Conditor, incolumes esse sinitq; feras.
Viuit Apollineus per plurima secula coruus,
Attingit multos ceruus & ipse dies.
Nos homines unum uix dum pertingere seclum
Possumus, & paucis contingit esse senes.
Pars etiam nostrum moritur genitricis in aluo:
Inuexit nobis talia lapsus Adæ:
Pars rursus moritur teneræ sub flore iuuentæ,
Non aliterq; cadit, quam rosa nata solet.
Cuius conspicitur pulcher flos mane, pruina
Sed ta Etus, uento uel ueniente perit:
Sic homines percunt ætatis uere sub ipso,
Atq; leuis tandem puluis, & umbra manent.
Qualis & hic perijt, dignus melioribus annis,
Ssicchius, in patriæ conditus estq; sinu.
Pro duro dedit hoc illi fortuna labore,
Quem tulit in studijs hic, alibiq; bonis.
Nominis, illorum quanto flagrauit amore,
Quo perijt, uix non traxerat inde malum.

Illi cura fuit, studijs imbutus honestis,
Ut patriæ tandem proficit, & ornet eam,
Totus in id fuerat magno conamine nixus,
Non habitus ipsius tunc ratione sui.
Nam caput egregias ut posset ferre per artes,
Nobile pieridum sedulus urfit iter.
Utq; aballino pertingere labra liquore
Posset, Saxonicos ille petiuit agros.
Fertur ubi claras vitam coluisse per artes,
Et studio doctis complacuisse viris.
Auricomus nondum cursu Sol finijt annum,
Nec fulgens iterum Scorpius ortus erat:
Hoc illi post quam studium turbasset Erinnyis,
Et Lachesis filum præsecuisset atrox.
Languidus in patriam peruenit: frigida iamq;
Pragensis illius contegit ossa solum.
Ergo spes patriæ quondam non vltima terre,
Defunctus vita, Venæsilæ, iacet.
Quis deus illi te, geniusq; inuidit alumnum?
Teq; quis huic placidam ferre negavit opem?
Nam poteras alijs tandem prodesse vigore
Ingenij, studijs, moribus atq; bonis.
Quid tamen iste labor, studium quid proderit illud?
Infelix patriæ gloria nempe iaces
Quam docuit patriæ Iuuenes te linquere tales
Iratam nec in hos tendere, parca, manum.

Tollere de medio debebas rursus at illos,
Qui patriam fraudant cominoditate suam,
Verum nil opus est uanas iactare querelas,
Consilio hæc scimus cunctipotentis agi.
Eripit ille bonos, nobis ostendere uultus
Iratos tali conditione uolens.
Ille malos etiam permittit ducere vitam,
Naturæ noscant ut mala damna suæ.
Eripit ergo suos, illis quia mundus habetur
Indignus, dum sic impicitate labat.
Tollit itemq; pios iuuenes, si fata tulissent,
Ssicchius inter quos primus habendus erat.
Ille quidem terris iam decessurus, IESV,
Clamauit moriens ò miserere mei.
Est locus Elysijs iunctus confinibus agri,
Delicias cuius nemo referre potest.
Si qua fides uero est, ullis, nisi sanguine Christi
Mundatis, alijs non patet ille locus.
Si proprijs illuc meritis quis tendit onustus,
Hoc frustra carpit, pondere pressus, iter.
Rursus at in Christum fidei delatus ab alijs,
Fertur in Elysijs constituendus agris.
Illic sanctorum cœtus noua gaudia pangunt,
Cum Christo regnant perpetuosq; dies.
Ssicchius inter quos cœlesti sede receptus,
Gaudet, conspectu perfruiurq; Dei.

Antè fide fultus siquidem, sacraq; Synaxè
Idem munitus, quàm moreretur, erat.
Angelicos coetus animam morientis in arce
Credibile est igitur deposuisse poli.
Quare spe socij nobis à morte perempti
Hac uel diuinam vocè petamus opene
Viue Deus, fortis iudex, Pater atq; benigne,
Qui solus nostræ iura salutis habes.
Per Christi meritum, nostri miserere, precamur,
Nec tristes pœnas crimina nostra Iuane.
Sis nunc auxilio nobis, & mortis in hora,
Cum fusi rumpet stamina parca sui.
Des, veniat noster mortali carne solutus
Spiritus in cœli regna beati tui,
Cum sanctis ubi tu regnas Deus omne per eum,
Et quò præcæsit Sicchius ipse suos.

FINIS.

CVM CONSENSV D. AD
MINISTRATORVM
PARTIS VTRIVSQ;.



EXCVSVM PRAGÆ APVD IOANNEM
CANTOREM, A D 1552.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS

CVM CONSINGVAD AD
MINISTRATORVM
PARTIS VIRIVS

EXCVLVA FRABE ADV JONNIBS
CANTOREM, A D. 1111

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15